

lege obstrictis. Maximum hic momentum habet amicitia, cum exteris instituta. Hanc igitur omnibus, quibus fieri potest, modis conseruare studeat peregrinatus, in patriam redux, ut nunquam inter exteros desit, qui amoenis subinde literis et personarum rerumque, antea uisarum, memoriam renouare, et nouam discendi materiam praebere uelit. (a)

(a) Vid. hic BOSIUS in cit. supra introduct. in notit. Rerump. cap. VI. §. VII. p. 76. et VERVLAM. c. sermon. sub finem.

COROLLARIA

AD

IMPLENDAM VACVITATEM ADDITA.

I.

Non omnia omnibus terrae partibus natura impertiuit, sed munera secundum regiones diuisit, ut ad societatem homines mutuae indigentia opis, rerumque ad utilitatem commoditatemque uitae necessariarum desiderio adduceret. Quare et peregrinationes patefecit, et negotiationes, ut eorum, quae quibusdam sunt propria, communem ad omnes fruitionem proferat, uid. de hoc argumento dicta scitu dignissima in KNICHEN. oper. polit. Lib. II. part. I. cap. XII. thes. XVII. fol. 618. seqq. et IO. NICOL. FLA-